



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad
Perfectionem per Exercitia Spiritualia**

Vatier, Antoine

Dilingæ, 1689

Instrvctio Circa usum Exercitiorum S. Ignatii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](#)

~~85(0)50~~

INSTRVCTIO

Circa usum Exercitiorum

S. IGNATII.

Integritatem Exercitiorum S. Ignatij, nec per Meditationes, nec per alia, quæ maioris Claritatis causâ apposita sunt, fuisse violata. Aliqua insuper necessariò fuisse constringenda.

Noli veteri, ne forte integritas Exercitiorum S. Ignatij, de qua paulò ante ad finem Praefationis nobis sermo fuit, per eam, quam intuli, mutationem, aliquâ sui parte violata sit. Noli mirari, si postquam Exercitia S. Ignatij promisi, alias tibi Meditationes offeram, quæ ipsius partus non sunt. S. Ignatius ipse ad finem quinti Exercitij primæ hebdomadis nos commonuit, liberum Directori se relinquere, alias quinque illis, Meditationes adjungete, quas ipse primæ hebdomadi præscripsit, quales sunt Meditatio de morte, de iudicio &c. Usus sum ego hac licentiâ, ad exemplum plurium Auditorum, & speciatim R. P. Antonij Gaudier, viri, si quispiam aliis, viæ spiritualis, tam illius, quæ Theoriā, quam

)) (quæ

Instructio circa usum

quæ usum , & experientiam spectat , peritissimi-
mi. Ad hujus igitur imitationem , Exerci-
tia instruentis pro illis , qui ea singulis annis
obire solent , post quinque S. Ignatij Medi-
tationes , adjeci ego unam de morte , alteram
de judicio particulari , & tertiam de fructibus
Pœnitentiæ : quibus , non sine plurium ma-
gnorum virorum auctoritate , adjunxi illam
de Filio prodigo ; atque ita conclusi primam
hebdomadem , velut excellens Archetypum
conversionis peccatoris.

Reliquis tribus hebdomadis , cum S. Ignatius nullibi judicet , è re fore , si quid-
quam adderetur , ego quoque nil addidi. Et
quia omnès Meditationes , quas ipse illic sin-
gulariter ponit , utilissimæ sunt , ad promo-
vendas in Virtutum studiō animas , nullam
illarum p̄ætermisi ; quin pro virili conatus
sum , & illas ipsem̄ animo complecti , atque
ita explicare , ut omnibus innotescat , quanti
illæ ponderis sint ; quantumque in omnem
partem excellant , tum ipsa S. Ignatij Exerci-
tia , tum admiranda , quam in Illis tenet ,
Methodus.

Verūm̄ quoniam S. Ignatius Exercitia
sua ad integri mensis occupationes extendit ,
quæ ego intra unius octidui angustias colligo ;
necessitatem

Exercitiorum S. Ignatij.

necessè omnino habui, ut quasdam de Mysteriis Vitæ Christi Meditationes præterirem. Hinc ex illius viciâ privatim actâ, ea tantùm decerpsi, quæ notabiliora videbantur. Mysteria sanctissimæ Passionis in unum compagi diem, ut etiam ultimam hebdomadem: ex hac, atque ex illa de promendo, quæ proposito meo magis opportuna occurrabant. Reliqua illis concedo, quibus animus, & otium est, plus temporis impendere. Illud fatendum, me loco omnium Redemptoris Nostri apparitionum, postremæ hebdomadi Meditationem de Paradiſo inseruisse, quod à plerisque etiam aliis factum scio.

Octo dierum occupationi subjunxi aliquas annotationes, quæ cum illis qui exercitiâ faciunt, tum ijs, qui illa tradunt declarationis loco esse possunt. Octonis porrò hisce diebus octo diversa argumenta, ac materias addixi, quas animo volvere, & serio ruminare oportet. Complectuntur enim in se primarium, qui colligi debet, fructum. Est autem plerumque discursus, seu *Dissertatio*, imposito de industria hoc nomine, quod anima secum ipsâ discurrendo ac differendo singulis diebus habeat, quæ sedulò expendat. Non mihi

)C z per-

Instrūctio circa usum

persuadeo , nos hac via recedere à mente S. Ignatij , cùm cuilibet diei tam sublimes affigimus conceptus. Affectus quod attinet , qui intra ipsas Meditationes delitescunt , excitavi , & in quarundam animarum solatium suis quibusque punctis subtexui. Minimè autem opus est , ut Tu illis insistas , aut omnes elicere , eorumque ordinem observare debas. Consilium , quod tibi suggero , eò tendit , ut teipsum ad tales excitandos impellas , qui vel maximè veritati , quam Meditatio continet , ex æquo respondeant. Primum enim , quod in qualibet Meditatione assequi debes , hoc est , ut Intellectui bene imprimas Veritatem , quam illa docet , postmodum autem voluntatem in affectus emollias huic veritati conformes.

Denique , quia Meditationes ipse longius excurrunt , semper earum Breviarium subjunxi. Nullas autem novas Considerationes immiscui ; sed tantum , quæ prolixiora erant , succinctius dedi , ut facilius memoria retinerentur. Affectus hisce Compendijs nullos inserui , ratus , jucundijs , utilijsque ab ipsa anima suomet marte formari , elicique posse. Non judices alienum , quod , dum mate-

Exercitiorum S. Ignatij.

materiam cujusque diei , quam *Occupationem* nomino , exposui; primo loco , ante omnes diei Meditationes , Dissertationem præmisserim , in ipsa autem partium hujus materiae deductione Dissertationem ipsam post omnes Meditationes rejecerim. Consultò hoc feci , & ad principium simul , & ad finem diei , Dissertationem ideo posui , ut intelligeres , illam proprium totius diei negotium esse. Si voluissem seriem Meditationum interrumperet , circa medium diei post secundam Meditationem Dissertationem locâsem. Sed vi sum est melius , si omnibus Meditationibus postponeretur : modò observes , illam quâlibet diei horâ legi posse , illæso tamen semper Meditationum , rerumque earum , quæ certum sibi tempus præscriptum habent , Ordine. In generali ordine Diurno Lectioni hujus Dissertationis certum assignari locum , ut saltem semel , si satis non possit , attentè legatur.

Considerationibus præcipuorum actionum tantam P. Antonius Gaudier existimationem conciliavit , ut injuriam devotis animabus me facturum crederem , si illas penitus omitterem , Secutus autem sum in illis methodum R. P. Ju-

Instructio circa usum.

liani Hayneufe, qua utiliorem non vidi. Et si enim sacra Exercitia suomet pondere eò tendant, ut per illa vitæ nostræ totius rationes, & adiutoria componantur, illi præcipue, qui melioram occupant portionem, & è quibus plus momenti pendet; plurimi tamen faciendæ sunt istæ Considerationes, & magno studio ac diligentia obeundæ. Ego illis (cum non tam pars, quam finis materia Exercitiorum esse videantur) postremum intra Diei Occupationes locum præscripti, licet in generali ordine, intrâ alias Occupationes, suam quoque sedem Considerationi fixerim. Quisque illam eâ horâ faciat, quam conmodo suo, & profectui spirituali maximè judicaverit esse opportunam.

Metuo quidem, ne aliqui conquerantur, multitudine se obrui, & nimium distineri, si præscriptum Diei ordinem observare, & omne id, quod notatum vident, quotidie legere teneantur. Ut huic incommodo occurrerem, omnes annotationes ad oīdū finem reieci. Qui penuriam temporis patitur, poterit illas non minùs, ac lectionem ex libello Thomæ Kempensis de Imitatione Christi; aut si ita lubet, Considerationes post finita Exercitia differre, ut illis otiosius vacare possit, certè plurimum ad

Sacræ

Exercitiorum S. Ignatii.

Sacræ hujus solitudinis profectum , emolu-
menti afferunt. Cui hæc via placet , juvari
poterit Annotatione XXIII.

Quæ ad quamvis Meditationem singulatim
pertinent, expedire censeo, ea diligenter legere.
Et siquidem Meditationem præcedant, legan-
tur antè, quām Meditationem ordiamur. Si
post Meditationem aut ejus breviarium po-
natur, finitâ illâ legi debent. Ipsum autem
Meditationum compendium, cùm tantum me-
moriā soletur, qui difficultatem in hac non
sentit, facilī passū illud transilire potest. Quòd si
ex adverso tempus tibi supersit, juvabit legere
Meditationes ex libello S. Ignatij.

Quorundam defectus me adegit, ut omnes
commonitos velim, ne præco i e desiderio ab-
ripi patientur, ad id nunc legendum, quod
alio tempore legere oportebat. Hæc enim
immatura curiositas summopere nocet, cùm
DEUS, qui rerum ordine gaudet, parcius suas
gratias animæ indulget, quæ ita perturbatè
se effundit. Decet omnino , ut suo quæque
tempore præscripto , & non alio , legan-
tur.

Qui

Instructio circa usum Exercitiorum, &c.

Qui decem Dies Exercitiis impendere volunt, reperient Annotatione XXII. distributionem, & ordinem, quem observare poterunt.

En , hxc habui , quæ primo tibi congressu dicerem; nunc si ita tibi consultum videatur, Exercitia ipsa ingrediamur.



ORATIO